

# Sententia Aristotelis de compositione corporum

e materia et forma in ordine physico et metaphysico  
in elementis terrestribus considerata.

Dr. Franciscus Šanc S. I.

(»Ex omnibus quae fiunt, id accipi potest, si quis consideraverit, sicut dicimus, debere semper esse aliquid subiectum, quod fiat, et hoc etiamsi numero unum sit, specie tamen non unum esse; nam specie et ratione idem dico; non enim idem est esse hominem et esse nonmusicum. Atque alterum permanet, alterum autem non permanet; id quod non est oppositum, permanet, homo enim permanet, musicum autem et nonmusicum non permanet, neque id quod ex utroque compositum est, puta homo nonmusicus.«.)

Etiamsi exemplum adhibetur, in quo res maxime conspicua est, sc. hominem suam essentiam et existentiam retinere, cum ex nonmusico musicus fiat, tamen id de omnibus quae generantur, accipiendum esse dicitur, ergo etiam de elementis, quae generantur ex materia prima: etiam materia prima numero eadem permanet, quando ex uno elemento alterum fit, ex hoc tertium, ex tertio quartum. Propterea in omnibus quatuor elementis eandem materiam esse dicit, quae quo ad esse distinguatur.<sup>161</sup>

*„ἀνάγκη καὶ τὰς ἑλὰς εἶναι τοσαύτας ὅσαπερ τὰτα, τέταρας οὕτω δὲ τέταρας, ὡς μίαν μὲν ἀπάντων τὴν κοινήν, ἄλλως τε καὶ εἰ γίνονται ἐξ ἀλλήλων, ἀλλὰ τὸ εἶναι ἕτερον“.*

(»Necesse est etiam materias esse tot, quot haec sunt, quatuor, ita autem quatuor, ut una sit omnibus communis, cum ex alia ratione tum si ex invicem fiunt, sed esse aliud est.«.)

Ergo ratio praecipua, cur quatuor elementa eandem materiam habeant et cur eadem illa materia una sit et cur tamen quadruplex esse habeat, ex eo petitur, quod omnia quatuor elementa ex invicem generantur. Iam secundum ea, quae de subiecto generationis omnis dicta sunt, subiectum illius ex quo aliquid generatur, numero idem est et manet in generato, quod erat antea, species vero seu ratio alia ac alia est.

18. Illud »esse« igitur idem significat ac species vel ratio; i. e. esse essentiae, non autem existentiae. Neque hanc significationem termini »esse« inusitatam esse iam capite priore ostensum est, praesertim ex nomine essentiae τὸ τί ἦν εἶναι quod quid erat esse, ,

<sup>161</sup> De coelo 4, 5; 3 12 a 30—33. cf. De gen. et corr. 1, 3; 310 a — b 4.

19. Materia igitur et prima et nonprima eandem naturam et existentiam in substantia, quae ex ea fit, retinet ac antea habuit. Quare materia, cum substantia quae ex materia facta est destruitur, non debet iterum produci, ut appareat sicut antea erat, ideoque neque causa ulla quaerenda est, quae materiam iterum producat. Atque ita intelligitur, cur Aristoteles nunquam quaerat, a qua causa elementa ex quibus caro, os aliaque facta esse dicit, destructo hoc corpore mixto, iterum producantur, neque umquam quaerit, cur eadem et non alia ac antea erant, iterum appareant. Et propterea etiam difficultates illas, quae cum sententia eorum, qui elementa in mixto existentiam et partem suam essentialem, amittere dicunt, coniunctae sunt, nunquam commemorat.

Ergo ex Aristotelis sententia materia quaecumque, cum ex ea substantia aliqua fit, esse suum et naturae et existentiae retinet, et aliquo modo qui naturam eius non constituit ideoque quoad materiam accidens — *συμβεβηκός* est, mutatur. Subiectum seu materia ex Aristotelis doctrina non est nonens simpliciter sed solum secundum quid sive sub aliqua ratione ipsi materiae non essentiali:<sup>162</sup>

*„ἡμεῖς μὲν γὰρ ὕλην καὶ στέρησιν ἕτερόν φασιν εἶναι, καὶ τούτων τὸ μὲν οὐκ εἶναι κατὰ συμβεβηκός, τὴν ὕλην, τὴν δὲ στέρησιν κατ' ἀδότην“.*

(«Nos enim materiam aliud esse dicimus ac privationem, atque ex his alteram sc. materiam, dicimus esse nonens per accidens, privationem autem ratione sulipsius».)

20. Quamquam naturam et existentiam propriam in toto materia retinet, nihilominus aliquo sensu inseparabilis est. Intelligitur autem hoc de materia ut parte, seu de illo subiecto, de quo essentia totius compositi non praedicatur in recto; nam illud subiectum, de quo essentia totius in recto praedicatur, ex hac ipsa ratione quod non nisi ratione ab essentia totius seu forma totali distinguitur, inseparabilis est. Distingui ab Aristotele materiam duplicem de quarum altera essentia totius substantiae praedicatur in recto, de altera au-

<sup>162</sup> Phys. 1, 9; 192 a 3—5.

tem solum in obliquo iam antea<sup>163</sup> dictum est. Ita homo nequit manere sine essentiae sua.

Materia etiam ut pars intellecta inseparabilis est a toto, quod ex illa materia constat; nam nequit totum permanere sine materia. Homo iam non est homo, si corpus ab eo separatur, neque domus manere potest sine lapidibus ex quibus facta est, neque elementum sine materia prima, neque mixtum sine elementis. Hoc igitur sensu, quod totum nequit manere separatum a sua materia inseparabilis est.

Alio autem sensu materia inseparabilis dicitur, quatenus ipsa separata a toto permanere nequit. Iam vero omnis materia et prima et non-prima inseparabilis est a toto eo sensu, quod nequit esse separata, quin eo ipso desinat esse materia; nam si separatur a toto, desinit id ex quo totum factum est; puta cum domus destruitur, lapides ex quibus facta erat, iam non eam constituunt ideoque iam non sunt eius pars. Quia autem materia primario sensu est id ex quo aliquid non solum fieri potest sed revera factum est, ideo materia primario sensu intellecta dicto modo est inseparabilis ab eo, quod ex ea factum est: materia ut pars nequit esse sine toto, cuius pars est.

Cum tamen materia etiam id vocetur ex quo nondum illa substantia, cuius materia dicitur, facta est, sed solum fieri potest, materia eo sensu secundo separata ideoque etiam separabilis est a substantia, cuius materia dicitur, verum non est separabilis a sua aptitudine, qua substantiam revera constituere potest.

Atque hoc sensu intellecta materia, quatenus est id ex quo aliqua substantia aut facta est aut fieri potest, materia neque conceptu separabilis est a substantia cuius est; nam ita materia cogitatur cum relatione ad totam substantiam, relativum autem ut tale nequit cogitari, quin simul cogitetur terminus, ad quem refertur. Mate-

<sup>163</sup> cf. huius art. n. 2, ubi citatur Phys. 2, 1; 193 a 36 — b 8.

riam esse aliquid relativum dicit Aristoteles:<sup>164</sup>

„τῶν πρὸς τι ἢ ὕλη· ἄλλω γὰρ εἶδει ἄλλη ὕλη“.

(»Ad ea materia pertinet, quae relationem habent; nam alii speciei alia materia est«.)

Denique considerandum, quomodo intelligatur, quod Aristoteles de materia elementorum seu prima dicit<sup>165</sup>: „ἡμεῖς δὲ φημὲν μὲν εἶναι τινα ὕλην τῶν σωμάτων τῶν αἰσθητῶν, ἀλλὰ ταύτην οὐ χωριστὴν ἀλλ’ ἀεὶ μετ’ ἐναντιώσεως, ἐξ ἧς γίνεται τὰ καλούμενα στοιχεῖα“.

(»Nos autem dicimus quidem esse aliquam materiam corporum sensibilium, eam tamen non separabilem sed semper cum contrarietate, ex qua fiunt elementa, quae vocantur«.)

Quo sensu hic materia elementorum dicatur inseparabilis, patet ex oppositione: »sed semper cum contrarietate«. Materia elementi hic vocatur inseparabilis quatenus numquam est sine contrarietate. Contrarietatem intelligi caliditatem, frigiditatem, siccitatem, humiditatem declaratur paulo post:<sup>166</sup>

πρῶτον μὲν τὸ δυνάμει σῶμα αἰσθητὸν ἀρχή, δεύτερον δ’ αἱ ἐναντιώσεις, λέγω δ’ οἶον θερμότης καὶ ψυχρότης, τρίτον δ’ ἤδη πῦρ καὶ ὕδωρ καὶ τὰ τοιαῦτα.“

(»Primum est id quod potentia est corpus sensibile, principium, secundum autem sunt contrarietates, dico e. gr. caliditas et frigiditas, tertium autem iam est ignis et aqua et alia similia«.)

Materia itaque elementi semper est coniuncta cum aliqua contrarietate seu nunquam est extra elementum. Utrum non solum de facto semper sit coniuncta cum contrarietate, an etiam absolute necessario ita sit, Aristoteles non quaerit, ideoque nihil obstat, quominus illa distinctio ponatur. Immo Aristotelem non affirmare absolutam necessitatem ex eo concluditur, quod illam suam assertionem nullibi ex natura materiae primae deducit, neque ullibi hanc praecise doctrinam probare conatur. Dicit quidem Aristoteles, id quod capite priore consideratum est, nunquam aliquod elementum omnino annihilari. Nam ele-

<sup>164</sup> Phys. 2, 2; 194 b 8—9.

<sup>165</sup> De gen. et corr. 2, 1; 329 a 24—26.

<sup>166</sup> De gen. et corr. 2, 1; 229 a 33—35.

mentum, et cum in alterum mutatur et cum cum altero mixtum componit, nunquam materia eius sine omni contrarietate manet: cum enim elementum alterum in alterum mutatur, manet non solum eadem materia, sed etiam illa ex duabus contrarietatibus *σύζευξιν* illius elementi constituentibus, quae utrique elemento communis est, altera autem assimilatur vincenti, sicut ab Aristotele fuse explicatur,<sup>167</sup> ex quibus haec duo exempla denuo ob oculos ponantur<sup>168</sup> primo quomodo ex igne fiat aer:

„*ἐκ πυρός μὲν ἔσται ἀήρ θατέρον μεταβάλλοντος (τὸ μὲν γὰρ ἦν θερμὸν καὶ ξηρόν), τὸ δὲ θερμὸν καὶ ὑγρὸν, ὥστε ἂν κρατηθῇ τὸ ξηρὸν ὑπὸ τοῦ ὑγροῦ, ἀήρ ἔσται.*“

(«Ex igne erit aer, si alterum mutetur alterum enim erat calidum et siccum, sc. ignis, alterum autem calidum et humidum sc. aer; ergo si siccum vincitur ab humido, aer erit.»)

Secundo quomodo ex aqua et igne fiat aer<sup>169</sup>: „*ὅταν μὲν τοῦ ὕδατος φθαρή τὸ ψυχρὸν τοῦ δὲ πυρός τὸ ξηρὸν, ἀήρ ἔσται (λείπεται γὰρ τοῦ μὲν τὸ θερμὸν τοῦ δὲ τὸ ὑγρὸν).*“

(«Cum corruptum fuerit humidum aquae, ignis autem siccum, aer erit; relinquitur enim illius calidum et huius humidum.»)

Ergo secundum Aristotelem elementum, cum in alterum mutatur, retinet et eandem materiam et illam contrarietatem, quae utrique elemento communis est, quoad alteram autem elemento vincenti assimilatur. Utrum hic sit unicus modus, quo elementum in aliud mutetur, Aristoteles non quaerit, sed solum hunc modum explicat, quia hunc solum experientia detegi existimat<sup>170</sup>:

„*ἢ δὲ πίστις τούτων ἐκ τῆς ἐπαγωγῆς.*“

(«Persuasio de his ex inductione habetur.»)

Etiam ubi differentias elementorum et activitatem et passivitatem determinat,<sup>171</sup> ubique ad experientiam provocat, neque umquam ex natura materiae elementi deducit eam nunquam posse manere sine ulla contrarietate. Ideoque illi suae assertioni

<sup>167</sup> De gen. et corr. 2, 4; toto capite.

<sup>168</sup> ib. 331 a 26—29.

<sup>169</sup> ib. b 14—16.

<sup>170</sup> Meteor. 4, 1; 378 b 14.

<sup>171</sup> De gen. et corr. 2, 2.

»materiam semper esse cum contrarietate« solum in ambitu experientiae valorem adscribere existimandus est.

Neque in mixto materia elementorum sine contrarietate manet, sed contrarietates solum ad aliquale medium reducuntur.<sup>172</sup>

21. Verum ex his omnibus, quae de mutatione elementi alterius in alterum et de constitutione mixti ex elementis statuuntur, illud tantum concluditur elementa in mutatione et in mixto non manere sine contrarietate, quae autem sit ratio, cur omnino habeat, Aristoteles non quaerit explicite umquam. Verum non est existimandus Aristoteles ideo dixisse materiam nunquam sine contrarietate manere, quia sine contrarietate existere non posset; dicit enim substantias posse amittere materiam et compositionem, sine qua esse desinant. Ergo Aristoteles non existimandus est materiam nunquam sine contrarietate esse concludere ex eo, quod materia amissa omni contrarietate esse desineret, sed ex eo, quod materia aliqua consecutione contrarietatem acquirat; ex quo sequitur, formam elementi speciali aliquo nexu cum materia coniunctam esse.

### Articulus III. DE FORMA ELEMENTI: QUID SIT, QUOTU- PLEX, QUAE EIUS PROPRIETATES ET EFFECTUS

#### SUMMARIUM.

1. Forma ut pars et forma ut totum. 2. Forma ut pars sunt contrarietates. 3. Contrarietates efficiunt formam ut totum. 4. Forma totalis abstracta aliquo sensu incompleta substantia est. 5. Forma ut pars est coniunctio contrarietatum. 6. Contrarietates illae ab invicem separari possunt. 7. Etiam si una tantum contrarietas desinit et materia cum altera contrarietate manet, elementum totum desinit. 8. Contrarietates gradus admittunt, et una modificari potest sine altera. 9. Forma ut pars solvi potest. 10. Forma ut pars generari potest. 11. Forma corruptibilis et forma incorruptibilis. 12. Forma incorruptibilis et forma ut totum est idem ac essentia absolute spectata. 13. Momentum huius distinctionis inter formam ut partem et ut totum. 14. Forma ut pars elementi est aliqua vis. 15. Forma ut pars est id quo elementum est actu. 16. Quid intelligatur elementum actu et elementum potentia. 17. Quid intelligatur elementum simpliciter actu et secundum quid potentia, simpliciter potentia et sec. quid actu. 18. Actus et potentia distinguitur ab existentia et mera possibilitate. 19. Actus et potentia praedicantur de ordine

<sup>172</sup> De gen. et corr. 2, 7.

obiectivo praescindente ab existentia. 20. Esse plerumque non significat existere. 21. Forma suo subiecto confert esse essentiae. 22. Illud esse aut accidentale est aut substantiale. 23. Forma ut pars subiecto suo confert cognoscibilitatem. 24. Materia ut pars fit cognoscibilis per accidens, materia ut totum fit cognoscibilis per se. 25. Forma ut totum subiecto suo omnia confert, quod ipsum habet. 26. — confert esse substantiale vel simpliciter, sine quo subiectum neque accidentale esse habere potest. 27. »Si extrema sumantur, materia nihil aliud est praeter ipsam, substantia autem nihil aliud atque ratio. 28. Ultima materia et ultima forma sunt materia et forma ut totum, ideoque re idem, ratione distinctae. 29. Materia ut totum subiectum accidens logicum est respectu formae. 30. Materia ut totum per accidens cognoscitur. 31. Forma totalis est actus totalis et quidem substantialis. 32. »Impossibile est substantiam esse ex substantiis, quae insint ut actu«. 33. »Actus separat«. 34. »Impossibile est ex duobus unum aut ex uno duo fieri«. 35. »Substantia quodammodo potest et non potest definiri«. 36. Forma totalis est natura, ideoque principium activitatis et receptivitatis. 37. Forma totalis abstracta est incorruptibilis et indivisibilis sicut numerus. — 38. — est etiam actus. 39. Forma totalis specifica subiecto confert unitatem. 40. non singularitatis sed essentiae. 41. Unitas individualis subiecto convenit ratione sui ipsius. 42. et ita materia ultima numerabilis est. 43. Forma limitatur per materiam et materia per formam. 44. Materia ultima est ratio, cur multa eiusdem speciei esse possint, quatenus cum forma totali est re identica, ratione distincta. 45. Eadem est ratio, cur multae species sub eodem genere esse possint. 46. Aristoteles hic intelligit quantum realiter identicum cum forma totali.

1. Forma — μορφή — substantiae corporeae vocatur id, quod cum materia corporis corpus ipsum constituit. Ideo dicitur<sup>173</sup>: *„φανερὸν ὄν ὡς, εἴτερ εἰσὶν αἰτίαι καὶ ἀρχαὶ τῶν φύσει ὄντων, ἐξ ὧν πρώτων εἰσὶ, καὶ γεγόνασιν μὴ κατὰ συμβεβηθὸς ἀλλ' ἕκαστον ὃ λέγεται κατὰ τὴν οὐσίαν, ὅτι γίγνεται πᾶν ἐκ τε τοῦ ὑποκειμένου καὶ τῆς μορφῆς“*.

(»Clarum igitur est, siquidem sunt causae et principia eorum quae naturaliter sunt, ex quibus primis sunt et facta sunt non per accidens sed unumquodque quod secundum substantiam dicitur, unumquodque fieri ex subiecto et forma.«)

Idem quandoque vocatur species — εἶδος, — sicut<sup>174</sup>: *ἔστι δὲ τὰ αἰτία τὰ περὶ τὴν ἕλλην δύο, τὸ τε ποιοῦν καὶ τὸ πάθος, τὸ μὲν ποιοῦν ὡς ὄθεν ἢ κίνησις, τὸ δὲ πάθος ὡς εἶδος“*.

(»Causae circa materiam duae sunt, efficiens et passio; efficiens tamquam id, unde motus, passio tamquam species.«)

<sup>173</sup> Phys. 1, 7; 190 b 17—20.

<sup>174</sup> Meteor. 4, 5; 392 a 27—29.

Ubi species intelligitur id, quod cum materia totum corpus constituit.

Quandoque autem τὸ εἶδος et ἡ μορφή — species et forma — non intelligitur pars, quae cum materia constituit corpus, sed tota essentia, ita ut idem intelligatur ac τὸ τί ἦν εἶναι.

Ita<sup>175</sup>: „ἐν ἅπασιν τοῖς φύσει καὶ τοῖς ἀπὸ τέχνης συνεσιῶσι καὶ γεγενημένοις ἕτερόν ἐστὶν αὐτῇ καθ' αὐτὴν ἢ μορφή καὶ μεμυγμένη μετὰ τῆς ὕλης, ὡς τῆς σφαιρᾶς ἕτερον τὸ εἶδος καὶ ἡ χρυσοῦ καὶ ἡ χαλκῆ σφαιρᾶ καὶ πάλιν τοῦ κύκλου ἕτερον ἢ μορφή καὶ ὁ χαλκοῦς καὶ ὁ ξύλινος κύκλος· τὸ γὰρ τί ἦν εἶναι λέγοντες σφαιρᾶ ἢ κύκλῳ οὐκ ἐροῦμεν ἐν τῷ λόγῳ χρυσοῦ ἢ χαλκόν, ὡς οὐκ ὄντα ταῦτα τῆς οὐσίας.“

(«In omnibus quae natura aut arte composita et facta sunt, aliud est ipsa secundum seipsam forma et mixta cum materia, puta pilae aliud est species ac aurea et aerea pila; et iterum circuli alia est forma ac aereus et ligneus circulus; dicentes enim quodquideratesset pilae aut circulo non dicemus in oratione aurum aut aes, tamquam non pertinentia haec ad substantiam.»)

Quare, cum Aristoteles de forma vel de specie elementi loquitur, semper quaerendum, quo sensu intelligatur, utrum tamquam pars an tamquam tota essentia.

Hic praepremis quaeritur, quid Aristoteles sentiat de forma seu specie ut parte, quae sc. non praedicatur in recto de elemento, cuius est.

2. Iam initio huius capituli<sup>176</sup> dictum est ex Aristotelis sententia elementum, sicut et mixtum, non constare ex materia et forma substantiali, quae substantiam elementi constituent ita, ut differentiae elementorum quae enumerantur, ad totam substantiam se habeant ut condicio, ut forma substantialis induci possit aut ut proprietates quae ex tota substantia sequatur. Quare forma elementi ut pars, i. e. quae non intelligitur idem ac tota essentia vel natura, sunt differentiae, quae in definitionibus singulorum elementorum exhibentur. De harum igitur natura quaeritur.

Differentiae elementorum, quae ad materiam communem seu primam accedentes totum elementum constituunt, sunt contrarietates „ἐναντιώσεις“. Ita Aristoteles eas designat, declarando,

<sup>175</sup> De coelo 1, 9; 277 b 30 — 278 a 4.

<sup>176</sup> Cap. secundo, I. Quomodo elementum compositum sit.



quomodo elementum componatur<sup>177</sup>: „πρῶτον μὲν τὸ δυνάμει σῶμα αἰσθητὸν ἀρχή, δεύτερον δ' αἱ ἐναντιώσεις, λέγω δ' οἶον θερμότης, καὶ ψυχρότης, τρίτον δ' ἤδη πῦρ καὶ ὕδωρ καὶ τὰ τοιαῦτα.“

(»Primum est corpus potentia sensibile principium, secundum sunt contrarietates, puta caliditas et frigiditas, tertium autem iam est ignis et quae talia sunt.«)

Atque quaerendo contrarietates non quascumque, sed quae speciem elementi constituent, dicit<sup>178</sup>: „οὐ πᾶσαι αἱ ἐναντιώσεις σώματος εἶδη καὶ ἀρχὰς ποιοῦσιν, ἀλλὰ μόνον αἱ κατὰ τὴν ἀφήν· κατ' ἐναντιώσιν τε γὰρ διαφέρουσι, καὶ κατὰ ἀπτήν ἐναντιώσιν.“

(»Non omnes contrarietates corporis species et principia efficiunt, sed solum quae quoad tactum, secundum contrarietatem enim differunt et quidem secundum tangibilem contrarietatem.«)

Atque ut has tandem statuit illas quatuor, quae ad alias et ad invicem reduci non possint: caliditas, frigiditas, siccitas, humiditas. Unumquodque elementum binas ex his, quae sibi invicem oppositae non sunt, habere, quem binarium communi nomine *σύζευξις*<sup>179</sup> — coniunctio sc. contrarietatum vocat.

Est<sup>180</sup>: „τὸ μὲν πῦρ θερμὸν καὶ ξηρόν, ὁ δ' ἀήρ θερμὸν καὶ ὑγρόν, (οἶον ἀίμῃς γὰρ ὁ ἀήρ), τὸ δ' ὕδωρ ψυχρόν καὶ ὑγρόν, ἡ δὲ γῆ ψυχρόν καὶ ξηρόν“.

(»Ignis calidum quid et siccum, aer calidum et humidum, quasi vapor enim aer, aqua frigidum et humidum, terra frigidum et siccum.«)

3. Hae igitur contrarietates species elementorum efficiunt, sicut sc. differentia efficit speciem seu naturam vel essentiam totius. Suppositis enim iis, quae dicta sunt circa illam quaestionem, utrum in elemento ab Aristotele statuatur aliqua forma substantialis partialis, ad quam contrarietates specificae se habeant tamquam conditio aut proprietas resultans: contrarietates elementorum species eorum eo sensu efficiunt, quo anima Petri speciem eius efficit. Sicus anima Petri efficit, ut definitio hominis ei conveniat, seu ut habeat speciem seu naturam vel essentiam hominis, ita etiam contrarietates alicuius elementi efficiunt, ut illi corpori in quo sunt definitio illius elementi conveniat seu ut habeat essentiam illius elementi. Puta caliditas et siccitas ad

<sup>177</sup> De gen. et corr. 2, 1: 329 a 33—35.

<sup>178</sup> De gen. et corr. 2, 1: 329 b 8 b 10.

<sup>179</sup> ib. 2, 3: 330 a 31.

<sup>180</sup> ib. b 3—5.

materiam primam accedentes efficiunt, ut totum ita compositum sit ignis quoad suam essentiam sive naturam.

Nequit igitur ex illo »speciem efficere« probari speciem intelligi formam substantialem, quae sit pars totius substantiae ideoque de tota substantia negari possit, sicut anima non est homo.

4. Quia tamen tota substantia etiam abstracte concipi potest, ita ut neque tamquam universalis neque singularis cogitetur, ideo contrarietates etiam illam substantiam abstracte consideratam efficiunt. Iamvero haec substantia abstracte seu absolute considerata de substantia singulari in recto praedicatur ideoque ut in singulari existens concipitur. Quare substantia seu essentia abstracte vel absolute considerata tamquam aliquomodo incompleta et aut differentiis dependens concipi potest.

Hoc igitur sensu sc. tamquam substantia absolute spectata, species seu forma ut aliqua substantia incompleta cum doctrina Aristotelis componitur. Atque ita quia abstractum qua tale solum in mente abstrahente existere potest, intelligitur speciem seu formam posse dici aliquam abstractionem: puta non contrarietates elementorum sunt abstractiones sed essentia elementorum absolute spectata, sicut in Petro non anima est abstractio, neque compositum ex corpore et anima, sed natura humana absolute spectata.

5. Forma igitur elementi ut pars coniunctio est duarum contrarietatum: in igne caliditatis et siccitatis, in aëre caliditatis et humiditatis, in aqua frigiditatis et humiditatis, in terra frigiditatis et siccitatis.

Cum unaquaque ex his coniunctionibus simul necessario conexa est gravitas quaedam aut levitas et quidem ita: ignis nullam gravitatem sed solum levitatem habet, terra autem solum gravitatem, aer et aqua et gravitatem et levitatem habent, verum ita, ut in aere levitas, in aqua gravitas praevaleat. Gravitas et levitas ab Aristotele concipiuntur ut vires motrices: gravitate corpus versus centrum mundi seu terrae, levitate opposita directione fertur, nisi impediatur. Quae omnia capite priore considerata sunt.<sup>181</sup>

<sup>187</sup> Artic. II. et III.

6. Ex his autem patet formam elementi ut partem, quatenus opponitur materiae primae, esse aliquid compositum.

Illae contrarietates, ex quibus forma elementi composita est, ab invicem separari possunt; nam ex elemento alio aliud fit eo, quod altera ex contrarietatibus coniunctis vincitur, altera manente<sup>182</sup>: *διαν μὲν γὰρ τοῦ ὕδατος φθαρῆ τὸ ψυχρόν τοῦ δὲ πυρός τὸ ξηρόν, ἀήρ ἔσται (λείπεται γὰρ τοῦ μὲν τὸ θερμόν τοῦ δ' ὕδατος τὸ ὑγρόν), διαν δὲ τοῦ μὲν ἀέρος τὸ ὑγρόν τῆς δὲ γῆς τὸ ψυχρόν, πῦρ διὰ τὸ λείπεσθαι τοῦ μὲν τὸ θερμόν τῆς δὲ τὸ ξηρόν, ἄπερ ἦν πυρός*“.

(«Cum enim corruptum fuerit aquae frigidum, ignis vero siccum, aer erit, relinquitur enim huius quidem calidum, aquae autem humidum; cum autem aeris humidum, terrae vero frigidum sc. corruptum fuerit, ignis sc. erit, quia relinquitur illius quidem calidum, huius autem siccum, quae ignis erant.»)

Relinquitur ergo in mutatione elementi alius in aliud altera ex contrarietatibus coniunctis; quare ex mente Aristotelis in novo elemento non solum materia sed etiam altera contrarietas eadem ac antea erat, manet, non solum similis nova fit.

Nihilominus ex mente Aristotelis dicendum est totam coniunctionem contrarietatum elementi alius desinere et alius incipere; nam ita etiam, cum ex homine nonmusico musicus fit, homo quidem manet, compositum autem, sc. homo nonmusicus non manet<sup>183</sup>, sed novum compositum incipit, sc. homo musicus: *τὸ μὲν μὴ ἀντικείμενον ὑπομένει (ὁ γὰρ ἀνθρώπος ὑπομένει), τὸ δὲ μουσικὸν καὶ τὸ ἄμουσον οὐχ ὑπομένει, οὐδὲ τὸ ἐξ ἀμφοῖν συγκείμενον, οἷον ὁ ἄμουσος ἀνθρώπος*“.

(«Id quod non est oppositum manet homo enim permanet, musicum et nonmusicum vero non permanet, neque id quod ex utroque compositum est, puta nonmusicus homo.»)

Ut ergo compositum aliquod desinat, sufficit ut unio tollatur, neque requiritur, ut ipsae desinant partes. Atque ita etiam forma elementi quae in coniunctione seu compositione contrarietatum consistit, desinit et quidem tota, etiamsi una tantum contrarietas desinit; nam quod remanet, iam non est eadem forma ac antea.

<sup>182</sup> De gen. et corr. 2, 4; 331 b 14—19.

<sup>183</sup> Phys. 1, 7; 190 a 18—21.

8. Forma etiam ita modificari potest, ut altera ex contrarietatibus aliquem gradum intensitatis amittat aut acquirat. Ita mixtionem Aristoteles declarat<sup>184</sup>, ubi quatuor haec praesertim notanda ex iis quae dicit<sup>185</sup>: „*ἔστιν καὶ μᾶλλον καὶ ἥττον θερμὸν καὶ ψυχρὸν*“.

(»Est et magis et minus calidum et frigidum.«)

Alterum<sup>186</sup>: „*μυγνόμενα φθείρει τὰς ὑπεροχὰς ἀλλήλων*“.

(»Quae miscentur, corrumpunt excessus quos aliud prae alio habet.«)

Tertium<sup>187</sup>: „*ἔσται δὴ μυχθέντων ἅλλ' ἐκ τῶν ἐναντίων ἢ τῶν στοιχείων, καὶ τὰ στοιχεῖα ἐξ ἐκείνων δυνάμει πως ὄντων, οὐχ οὕτω δὲ ὡς ἡ ὕλη*“.

(»Erunt ergo ex iis quae mixta sunt, alia ex contrariis vel elementis, et elementa ex illis, quae aliquo modo potentia sunt, neque tamen ita sicut materia.«)

Id est: ex elementis fit mixtum, ex quo iterum elementa fieri possunt, non tamen ita sicut ex materia sed separatione.

Quartum<sup>188</sup>: „*τὸ ξηρὸν καὶ ὑγρὸν καὶ τὰ τοιαῦτα κατὰ μεσότηα ποιοῦσι σάρκα καὶ ὀστᾶ καὶ ἅλλα*“.

(»Siccum et humidum et alia similia secundum medietatem faciunt carnem et ossa et alia.«)

In mixtione solum excessus contrarietatum corrumpuntur seu reprimuntur, non autem contrarietates totae; id quod supponit contrarietates esse aliquo modo divisibiles.

Quia autem destructo mixto eadem elementa cum iisdem contrarietatibus, quin denuo producantur, iterum apparent, illa exaequatio excessuum non in eo constat ut aliqua pars contrarietatis abscindatur, sed solum reprimatur quasi aliquid elasticum; aut ex natura elementi independentiam adepti emanat usque ad naturalem intensitatem.

9. Neque tantum gradus forma elementi ut pars admittit, sed etiam corrumpi seu dissolvi potest, sicut quando gutta vini decies millenis mensuris aquae infunditur, ex Aristotelis sententia forma a vini omnino solvitur, ita ut non maneat nisi sola aqua<sup>189</sup>: „*σταλαγμὸς οἶνον μυρίαῖς χοεῶσιν ὕδατος οὐ μίγνεται· λύεται γὰρ τὸ εἶδος καὶ μεταβάλλει εἰς τὸ πᾶν ὕδωρ*“.

<sup>184</sup> De gen. et corr. 2, 7; 334 b 8—20.

<sup>185</sup> De gen. et corr. 2, 7; 334 b 8—9.

<sup>186</sup> ib. 11—12.

<sup>187</sup> ib. 16—19.

<sup>188</sup> De gen. et corr. 2, 7; 334 b 29—30.

<sup>189</sup> De gen. et corr. 1, 10; 328 a 27—28.

(»Gutta vini decies millenis mensuris aquae infusa non miscetur; solvitur enim species et mutatur in totam aquam.«)

10. Et quoniam quod corrumpitur generatum est, quae sententia Aristotelis considerata est capite priore, ubi de generatione elementorum agebatur, etiam forma elementorum generari ab Aristotele dicitur<sup>190</sup>: „οὐθ' αἱ ἕξεις οὐθ' αἱ τῶν ἕξεων ἀποβολαὶ καὶ λήψεις ἀλλοιώσεις εἰσὶν, ἀλλὰ γίγνεσθαι μὲν ἴσως αὐτὰς καὶ φθίρεισθαι ἀλλοιουμένων τινῶν ἀνάγκη, καθάπερ καὶ τὸ εἶδος καὶ τὴν μορφὴν οἶον θερμοῶν καὶ ψυχρῶν ἢ ξηρῶν καὶ ὑγρῶν, ἢ ἐν οἷς τυγχάνουσιν οὐσα πρότοις“.

(»Neque habitus neque abiectioes et acceptiones habituum, alterationes sunt, sed generari forte eos et corrumpi necesse est, quibusdam alteratis; sicut etiam speciem et formam, puta calidorum et frigidorum aut siccorum et humidorum, aut in quibus contingunt esse primis.«)

Atque hanc speciem seu formam generabilem et corruptibilem physicam vocat atque alicui alii speciei opponit, quae igitur non sit physica et corruptibilis et generabilis<sup>191</sup>: „περὶ δὲ τῆς κατὰ τὸ εἶδος ἀρχῆς, πότερον μία ἢ πολλαὶ καὶ τίς ἢ τίνες εἰσὶ, δι' ἀκριβείας τῆς πρώτης φιλοσοφίας ἔργον ἐστὶ θιορίσαι, ὥστε εἰς ἐκείνον τὸν καιρὸν ἀποκείσθω. περὶ δὲ τῶν φυσικῶν καὶ τῶν φθαρτῶν εἰδῶν ἐν τοῖς ὕστερον δεικνυμένοις ἐροῦμεν“.

(»Circa illud autem quod secundum speciem et principium, utrum unum sit an multa et quod aut quae sunt, accurate definire primae philosophiae opus est; erga in illud tempus sepositum sit. De physicis vero et corruptibilibus speciebus in iis quae postea ostenduntur, dicemus.«)

11. Ergo alia est species illa de qua Aristoteles in Metaphysica seu prima philosophia tractat ac illa de qua in Physica seu philosophia secunda agit. Illa species de qua in Metaphysica agit, est incorruptibilis ideoque etiam ingenerabilis et indivisibilis et incomposita et aeterna; quae praedicata secundum Aristotelem necessario coniuncta sunt<sup>192</sup>: „ἀτολον δὲ καὶ γένεσιν ποιεῖν αἰδίων ὄντων, μᾶλλον δ' ἐν τι τῶν ἀδυνάτων“.

(»Absolum est et generationem facere aeternorum, potius aliquid impossibile.«)

Et<sup>193</sup>: „τὰ αἰδία ἀγένητα καὶ ἀφθαρτα“.

(»Aeterna ingenerabilia et incorruptibilia sunt.«)

<sup>190</sup> Phys. 7, 3; 246 b 13—17.

<sup>191</sup> Phys. 1, 9; 192 a 34—b 2.

<sup>192</sup> Met. N, 3; 1091 a 12.

<sup>193</sup> Ethic. Nic. Z, 3; 1139 b 24.

Incomposita esse aeterna<sup>194</sup>: „ἀρα δυνατόν τὰ αἰδία ἐκ στοιχείων συγκεῖσθαι;“

(»Numquid possibile est aeterna composita esse ex elementis?«)

Quod autem compositum non est, neque divisibile est.

Illa vero species, de qua in Physica agitur, est corruptibilis ideoque generabilis, composita, non aeterna, Nihilominus, quia et in physica conceptus metaphysicos adhibere potest, ipse dicit de specie illa incorruptibili non solum in Metaphysica tractari, sed tantum accuratius tractari — δι' ἀκριβείας διορίσαι; quare semper attendendum, quo sensu species de qua loquitur, intelligatur, utrum corruptibilis an incorruptibilis.

Atque diversae speciei diversa etiam materia seu subiectum respondet; nam aliud est subiectum, de quo species in recto praedicatur, aliud vero illud, de quo in obliquo praedicatur et quod ipsum quoque de alio in obliquo praedicatur. Ita species hominis est animal rationale seu homo, quae species de Petro in recto praedicatur: Petrus est animal rationale seu homo. Species autem corporis est anima, quia in corpore est; neque tamen in recto de corpore praedicari potest: corpus non est anima. Anima est etiam species Petri, neque tamen in recto de eo praedicabilis: Petrus non est anima.

De forma in recto de subiecto praedicabili loquitur Aristoteles, cum dicit<sup>195</sup>: „ἐστὶ τὰ εἶδη καὶ τὸ ζῶον ἀνθρώπων καὶ ἵππων“.

(»Sunt species etiam animal in homine et in equo.«)

Agitur hoc loco de problemate, utrum animal quod de homine et de equo ut identicum praedicatur (sc. homo est animal, et equus est animal), sit aliquid in se subsistens tamquam idea separata, an sit re identicum cum suo subiecto, sc. homine et equo. Atque hoc ultimum affirmatur, atque problema solvitur distinguendo substantiam seu essentiam universalem quae sit incorruptibilis, et particularem, quae corruptibilis sit.<sup>196</sup>

„ἐπεὶ δ' ἡ οὐσία ἐτέρα τὸ τε σύνολον καὶ ὁ λόγος (λέγω δ' οὐτὴ μὲν οὕτως ἐστὶν οὐσία σὺν τῇ ὕλῃ συνειλημμένος ὁ λόγος, ἢ δ' ὡς λόγος ὄλως), ὄσαι μὲν οὖν οὕτω λέγονται, τούτων μὲν

<sup>194</sup> Met. N, 2; 1088 b 14—15.

<sup>195</sup> Met. Z, 14; 1039 a 27.

<sup>196</sup> Met. Z, 15; 1039 b 20—27.

ἔστι φθορά· καὶ γὰρ γενέσεις· τοῦ δὲ λόγου οὐκ ἔστιν οὕτως ὥστε φθείρεσθαι· οὐδὲ γὰρ γενέσεις (οὐ γὰρ γίγνεται τὸ οἰκία εἶναι ἀλλὰ τὸ τῆδε τῆ οἰκία), ἀλλ' ἄνευ γενέσεως καὶ φθορᾶς εἰσι καὶ οὐκ εἰσίν· ὁδεδείκται γὰρ δι' οὐδεὶς ταῦτα γεννᾶ οὐδὲ ποιεῖ“.

(«Quoniam substantia alia est totum et ratio, dico autem aliam quidem ita esse substantiam ut sit ratio cum materia simul sumpta, aliam autem ita, ut sit ratio universalis, illae quae ita dicuntur, earum est corruptio; est enim etiam generatio; rationis autem non est ita, ut corrumpatur, neque enim generatio, non enim generatur esse domum, sed esse hanc domum, sed sine generatione et corruptione sunt et non sunt; ostensum enim est neminem haec generare nec facere.»)

Ergo substantia universalis est incorruptibilis et ingenerabilis, particularis autem corruptibilis et generabilis. Iam vero substantiam universalem antea vocavit Aristoteles speciem, cum subiecto re identicam.

Eandem substantiam universalem seu essentiam etiam formam vocat, quae a subiecto sola ratione distinguitur<sup>197</sup>: „ἔστι δ' οὐσία τὸ ὑποκείμενον, ἄλλως μὲν ἢ ὕλη (ὕλην δὲ λέγω ἢ μὴ τὸδε τι οὐσα ἐνεργεία, δυνάμει ἐστὶ τὸδε τι), ἄλλως δ' ὁ λόγος καὶ ἡ μορφή, ὃ τὸδε τι ὄν τῷ λόγῳ χωριστὸν ἐστὶν τρίτον δὲ τὸ ἐκ τούτων, οὗ γενέσεις μόνον καὶ φθορά ἐστὶ, καὶ χωριστὸν ἀπλῶς“.

(«Est substantia subiectum, alio quidem modo materia, dico vero materiam, quae cum non sit hoc aliquid actu, capacitate est hoc aliquid, alio autem modo ratio et forma; quod id quod hoc aliquid est, ratione separabile est. Tertium autem est id, quod ex his est, cuius solius generatio et corruptio est, et separabile simpliciter.»)

Id est: solum individuum corpus (de corporibus enim agitur), simpliciter separabile est, ita ut non debeat praedicari de alio neque in recto neque in obliquo. Individuum tantum corpus generatur et corrumpitur. Constitutum autem est corpus individuum ex materia et ratione sive forma, quae ratione seu conceptu tantum separabilis est ab individuo; nam individuum est »hoc aliquid«.

Ergo secundum Aristotelem individuum habet aliquam formam, quae ab ipso non nisi ratione distinguitur. Atque hanc sententiam Aristoteles etiam in Physica proponit, ubi in individuo, e. gr. in homine, speciem vel formam ab individuo ratione tantum distingui dicit<sup>198</sup>: „τὸ γὰρ δυνάμει σὰρξ ἢ ὄστον οὐτ' ἔχει πῶ τὴν ἑαυτοῦ

<sup>197</sup> Met. H, 1; 1042 a 26—31.

<sup>198</sup> Phys. 2, 1; 193 a 36—b 8

φύσιν, πρὶν ἂν λάβῃ τὸ εἶδος τὸ κατὰ τὸν λόγον, ὃ ὀριζόμενοι λέγομεν τί ἐστι σὰρξ ἢ ὄσσιον, οὔτε φύσει ἐστίν. ὥστε ἄλλον τρόπον ἢ φύσιν ἂν εἶη τῶν ἐχόντων ἐν αὐτοῖς κινήσεως ἀρχὴν ἢ μορφὴν καὶ τὸ εἶδος, οὐ χωριστὸν ὄν ἀλλ' ἢ κατὰ τὸν λόγον, τὸ δ' ἐκ τούτων φύσιν μὲν οὐκ ἐστὶ, φύσει δέ, οἷον ἀνθρώπος. καὶ μᾶλλον αὕτη φύσις, τῆς ὕλης. ἕκαστον γὰρ τότε λέγεται διὰν ἐντελεχείᾳ ἢ, μᾶλλον ἢ διὰν δυνάμει“.

(»Id quod capacitate est caro aut os, neque suam naturam habet, priusquam accipiat speciem, quae secundum rationem est, quam dicimus, definitur quid sit caro aut os, neque natura est. Ergo alio modo natura fuerit eorum, quae in se principium motus habent, forma et species, non separabilis nisi secundum rationem. Id autem, quod ex his est, non est natura; sed (in rerum) natura, e. gr. homo. Atque magis haec natura est quam materia. Unumquodque enim tunc dicitur, quando actu est, potius quam quando capacitate«.)

Hic ab Aristotele eodem sensu adhibetur terminus »forma« ac »species«, atque ita ut significet totam essentiam individui, quae definitione individui corporis exprimitur, ergo significatur tota natura.

Ergo iam ab Aristotele terminus »forma« eodem sensu adhibetur ac a S. Paulo de Christo Domino dicitur<sup>199</sup>: „ἐαυτὸν ἐκένωσεν, μορφὴν δούλου λαβὼν“.

(»Semetipsum exinanivit formam servi accipiens«.)

Ubi »forma servi« intelligitur tota natura humana, composita ex anima et corpore.

13. Atque haec distinctio inter formam, quae idem significat ac tota natura vel essentia, et inter aliam formam quae non est tota natura vel essentia eius, cuius forma est, semper praeculis habenda in diiudicandis iis quae ab Aristotele de forma eiusque subiecto seu materia dicuntur, quae pariter distinguitur duplex: totum, de quo forma ut essentia praedicatur, et pars, de qua forma non praedicatur in recto. Non eadem, quae de altera forma et materia dicuntur, de altera quoque valent.

Quod dicitur<sup>200</sup>: „ἔστι δὲ τὰ αἴτια τὰ περὶ τὴν ὕλην δύο, τὸ τε ποιοῦν καὶ τὸ πάθος, τὸ μὲν ποιοῦν ὡς ὄθεν ἢ κίνησις, τὸ δὲ πάθος ὡς εἶδος“.

(»Sunt autem causae circa materiam duae, efficiens et passio, efficiens quidem ut id, unde motus, passio vero ut species.«)

<sup>199</sup> Phil. 2, 7.

<sup>200</sup> Meteor. 4, 5; 382 a 27—29.



valet de specie seu forma ut parte, non ut tota essentia seu natura; nam forma ut tota essentia est substantia<sup>201</sup>: „*ἡ οὐσία ἑτέρα τὸ τε σύνολον καὶ ὁ λόγος (λέγω δ' οὐτὴν ἢ μὲν οὕτως ἐστὶν οὐσία σὺν τῇ ὕλη συνειλημμένος ὁ λόγος, ἢ δ' ὁ λόγος ὅλως*“.

(»Substantia alia est totum et ratio dico autem alteram ita esse substantiam, ut sit simul cum materia comprehensa ratio, alteram vero rationem generatim.«)

Passio autem ab Aristotele opponitur substantiae<sup>201</sup>: „*λέγω δ' οὐσίας μὲν τὰ τε ἀπλᾶ σώματα, οἷον πῦρ καὶ γῆν etc. πάθη δὲ καὶ ἔργα τὰς τε κινήσεις τὰς τούτων ἐκάστου etc.*“.

(»Dico substantias quidem simplicia corpora, puta ignem et terram etc., passiones autem et opera motus uniuscuiusque horum etc.«)

Similiter, quod forma dicitur esse aliquid accidentale — *συμβεβηκός* — respectu materiae<sup>203</sup>: „*ἡ δὲ στέρησις καὶ ἡ ἐναντίωσις συμβεβηκός*“.

(Privatio et contrarietas accidens est.«)

Et tamen etiam privatio aliquo modo forma seu species est<sup>204</sup>: „*ἡ ἄρα μορφή φύσις. ἡ δὲ γε μορφή καὶ ἡ φύσις διχῶς λέγεται καὶ γὰρ ἡ στέρησις εἰδὸς πῶς ἐστίν*“.

(»Forma igitur natura est, forma vero et natura duplici modo dicitur; nam etiam privatio aliquo modo species est.«)

Forma ut pars est principium illud, quo elementum agit et patitur; nam, ut dicitur<sup>205</sup>: „*δεῖ δὲ ποιητικὰ εἶναι ἀλλήλων καὶ παθητικὰ τὰ στοιχεῖα· μίγννται γὰρ καὶ μεταβάλλει εἰς ἀλλήλα*“.

(»Oportet in invicem agere et ab invicem pati posse elementa; miscentur enim et in invicem mutantur.«)

14. Iam vero activitas elementi alterius in alterum in eo consistit, quod eius contrarietas oppositam contrarietatem alterius elementi vincit; passivitas vel pati autem in eo, quod contrarietas altera ab altera vincitur; id quod patet ex omnibus iis, quibus Aristoteles generationem et corruptionem elementi<sup>206</sup> et mixti<sup>207</sup> explicat.

<sup>201</sup> Met. 2, 15; 1039 b 20—22.

<sup>202</sup> De coelo 3, 1; 298 a 29—b 1.

<sup>203</sup> Phys. 1, 7; 190 b 27.

<sup>204</sup> Phys. 2, 1; 193 b 18—20.

<sup>205</sup> De gen. et corr. 2, 2; 329 b 22—24.

<sup>206</sup> De gen. et corr. 2. 4.

<sup>207</sup> ib. 2. 7.

Quare forma physica est aliqua vis elementi, ut Aristoteles dicit, explicando generationem et corruptionem secundum naturam<sup>208</sup>: „τούτων τῶν δυνάμεων ἔστιν ἔργον“.

(»Harum virium est opus.«)

15. Forma physica ut pars est id, quo elementum actu est illud elementum, seu est eius ἐντελέχεια vel ἐνέργεια. Nam elementum, quatenus forma seu contrarietate alicuius alterius elementi caret, dicitur esse δυνάμει — potentia hoc alterum elementum, actu autem seu de facto illud primum elementum. Ita<sup>209</sup>: „οὕτω δὲ καὶ ἀήρ ἔχει πρὸς ὕδωρ· οἶον ὕλη γὰρ τὸ δὲ εἶδος, τὸ μὲν ὕδωρ ὕλη ἀέρος, ὁ δ' ἀήρ οἶον ἐνέργειά τις ἐκείνου. τὸ γὰρ ὕδωρ δυνάμει ἀήρ ἔστιν, ὁ δ' ἀήρ δυνάμει ὕδωρ“.

(»Ita etiam aer se habet ad aquam; man sicut materia est hoc autem species, aqua materia aeris, aer vero sicut actus quidam illius. Aqua enim potentia aer est, aer autem potentia aqua.«)

Hoc loco Aristoteles non explicat, quomodo hoc fieri possit sed postea hoc clarius esse futurum<sup>210</sup>: „διοριστέον δὲ περὶ τούτων ὕστερον· ἀλλὰ διὰ τὸν καιρὸν ἀνάγκη μὲν εἰπεῖν, ἀσαφῶς δὲ νῦν ῥεθὲν τότ' ἔσται σαφέστερον“.

(»Definiendum autem de his postea; sed propter acasionem oportet dicere, quod vero nunc non clare dictum est, tum erit clarius.«)

Scilicet, quomodo aqua capacitate aer sit, et viceversa aer aqua patebit ex iis quae dicuntur de generatione elementorum, ea enim generantur ex invicem. Quae omnia in capite priore huius inquisitionis exposita sunt, ita ut sufficiat referre ea, quibus breviter doctrinam suam hac in re Aristoteles comprehendit<sup>211</sup>: „φαμέν δὲ πῦρ καὶ ἀέρα καὶ ὕδωρ καὶ γῆν γίνεσθαι ἐξ ἀλλήλων, καὶ ἕκαστον ἐν ἐκάστῳ ὑπάρχειν τούτων δυνάμει, ὥσπερ καὶ τῶν ἄλλων, οἷς ἐν καὶ ταυτὸν ὑπόκειται εἰς ὃ ἀναλύονται ἔσχατον“.

(»Dicimus ignem et aerem et terram ex invicem fieri, et unumquodque ex his inesse potentia, sicut etiam aliorum, quibus unum et idem subiectum est, in quod ultimum resolvuntur.«)

Scilicet, sicut aer ex aqua fieri potest, quia ex eadem materia ex qua modo aqua composita est, aer componi potest, ita ex iisdem lapidibus ex quibus modo domus composita est, pons componi potest, atque ita ex domo pons fieri potest, et in domo pons potentia inest et viceversa domus in ponte.

<sup>208</sup> Meteor. 4, 1; 378 b 29.

<sup>209</sup> Phys. 4, 5; 213 a 1—4.

<sup>210</sup> ib. 4—6.

<sup>211</sup> Meteor. 1, 3; 339 a 26—b 2.

16. Ergo elementum in duplici statu esse potest: potentia — *δυνάμει*, et actu — *ἐντελεχείᾳ* vel *ἐνεργείᾳ*. Atque ita elemento utroque sensu esse convenit, quod ab Aristotele distinguitur<sup>212</sup>: „λέγεται δὲ τὸ εἶναι τὸ μὲν δυνάμει τὸ δ' ἐντελεχεία“.

(»Dicitur ergo esse alterum potentia alterum actu.«)

Divisio entis in ens actu et ens potentia est una ex divisionibus entis, sicut etiam initio tractatus de actu et potentia dicitur<sup>213</sup>: „ἐπεὶ δὲ λέγεται τὸ ὄν τὸ μὲν τὸ τί ἢ ποῖόν ἢ πῶσόν, τὸ δὲ κατὰ δύναμιν καὶ ἐντελέχειαν καὶ τὸ ἔργον, διορίσωμεν καὶ περὶ δυνάμεως καὶ ἐντελεχείας“.

(»Quoniam dicitur esse aliud substantia aut quale aut quantum, aliud autem secundum potentiam et actum et factum; definiamus et de potentia et de actu.«)

Altera est divisio entis secundum categorias, altera secundum actum et potentiam.

Potentia semper vocatur ab Aristotele *δύναμις*, expletio autem potentiae modo vocatur *ἐντελέχεια* modo *ἐνέργεια* aut etiam, quamquam rarissime, *ἔργον*. Ita praesertim in illo libro *Metaphysicae*<sup>214</sup>, in quo data opera hos duos conceptus exponendos suscipit. Postquam enim divisionem entis modo allatam proposuit: *κατὰ δύναμιν καὶ ἐντελέχειαν καὶ τὸ ἔργον*, („secundum potentiam et actum et factum“), proponit sibi agendum de potentia et actu: *διορίσωμεν καὶ περὶ δυνάμεως καὶ ἐντελεχείας*“.

Ergo hic *ἐντελέχεια* idem significat ac *ἔργον*, quia non commemorat *ἔργον* tamquam obiectum inquisitionis faciendae. Quamquam autem de *ἐντελέχεια* sibi agendum proposuit, tamen in tota inquisitione solum rarissime (ter) termino *ἐντελέχεια*, sed quasi (ca 43) semper *ἐνέργεια*; ergo hic *ἔργον* et *ἐντελέχεια* et *ἐνέργεια* idem significant.

Quid igitur intelligatur aliquod elementum esse potentia, patet ex generali divisione entis in ens actu et ens potentia, et ex applicatione illorum terminorum, cum de elementis agitur. Aristoteles dicit,<sup>215</sup> aquam potentia aerem esse; i. e. aqua de facto nunc aqua est, quia est corpus simplex frigidum et humidum; sed quia eius frigiditas a caliditate vincī potest, ita ut

<sup>212</sup> Phys. 3, 6; 206 a 14—15.

<sup>213</sup> Met. Θ 1; 1045 b 32—35.

<sup>214</sup> Met. Θ

<sup>215</sup> Phys. 4, 5; 213 a 3—4.

simul humidum maneat, elementum autem calidum et humidum aer est, ex aqua aer fieri potest. Cum autem frigiditas aquae a caliditate victa est, aqua iam desinit esse, sed nunc hoc elementum aer est de facto.

Ergo elementum aliquod actu est illud elementum, cuius contrarietates de facto habet et non solum habere potest. Cum autem contrarietates elementi sint eius forma physica ut pars, forma physica ut pars efficit ipsa sua praesentia, ut elementum sit actu hoc elementum ideoque etiam, ut definitio talis elementi huic elemento simpliciter tribui possit, i. e. sine restrictione addenda. Aqua simpliciter potest solum aqua, non autem aer vocari; sed aqua potest vocari aer secundum quid, quatenus ex aqua aer fieri potest. Ergo elementum aliquod actu est illud, cuius essentiam vel naturam habet, potentia autem est illud, cuius essentiam vel naturam nondum habet, sed capax est, ut accipiat.

Elementum igitur a forma sua physica ut parte etiam habet, ut sit definibile, sc. ut sit capax definitionis qua natura et essentia talis elementi exprimitur.

Quoniam elementum catenus est et ab Aristotele vocatur actu hoc elementum, quatenus contrarietates illius elementi de facto in eo inveniuntur, si contrarietates aliquo modo repressae seu diminutae sunt, elementum est quidem actu neque tamen simpliciter seu sine ulla restrictione. Ideo elementa in mixto, quia eorum contrarietates aliquo modo exaequatae sunt, non dicuntur ab Aristotele adesse simpliciter actu, neque simpliciter potentia, sed secundum quid<sup>216</sup>: *ἐπειδὴ ἔστι καὶ μᾶλλον καὶ ἥτιον θερμὸν καὶ ψυχρὸν, διὰ τὸ μὲν ἀπλῶς ἢ θάτερον ἐντελελεία, δυνάμει θάτερον ἔσται· διὰ τὸ δὲ μὴ παντελῶς, ἀλλ' ὡς μὲν θερμὸν ψυχρὸν, ὡς δὲ ψυχρὸν θερμὸν διὰ τὸ μὴ γίνεσθαι φθίρειν τὰς ὑπεροχὰς ἀλλήλων, τότε οὐδ' ἡ ὕλη ἔσται οὕτε ἐκείνων τῶν ἐναντίων ἐκάτερον ἐντελελεία ἀπλῶς. ἀλλὰ μεταξὺ*.

(«Quoniam magis et minus calidum et frigidum est, quando simpliciter est alterum actu, potentia alterum erit; quando autem non perfecte omnino, sed sive calidum frigidum sive frigidum calidum eo quod, quae miscentur, excessus quos ad invicem habent corrumpunt, tunc neque materia erit, neque illorum contrariorum alterum actu simpliciter, sed intermedium.»)

<sup>216</sup> De gen. et corr. 2, 7; 334 b 8—13.

17. Ergo elementum est simpliciter actu, quando contrarietatem suam seu formam physicam perfecte possidet; quando autem non perfecte possidet, non est simpliciter actu; at quamdiu forma non omnino deest, elementum non est simpliciter potentia sed neque simpliciter actu est neque simpliciter potentia, sed utrumque secundum quid.

18. Unde etiam patet actum et potentiam non concipi ab Aristotele tamquam aliquid indivisibile. Ideoque actus apud Aristotelem non idem intelligitur ac existentia, neque potentia idem ac non existentia seu mera possibilitas; nam existentia non admittit plus et minus, sicut nec mera possibilitas.

De actu et potentia In elementis Aristoteles loquitur abstrahendo ab eorum existentia, sicut generatim in rebus explicandis ab eorum existentia abstrahitur. Res existentes sunt singulares, de singularibus autem secundum Aristotelem non est scientia<sup>217</sup>: „τῶν οὐσιῶν τῶν αἰσθητῶν τῶν καθ' ἕκαστα οὐδ' ὀρισμὸς οὐτ' ἀπόδειξις ἐστίν, οὐ ἔχουσιν ὕλην ἧς ἡ φύσις τοιαύτη ὥσι' ἐνδέχεσθαι καὶ εἶναι καὶ μὴ διὸ φθαρτὰ πάντα τὰ καθ' ἕκαστα αὐτῶν. εἰ οὖν ἡ ἀπόδειξις τῶν ἀναγκαίων καὶ ὁ ὀρισμὸς ἐπιστημονικός, καὶ οὐκ ἐνδέχεται, ὥσπερ οὐδ' ἐπιστήμην διὰ τὸ μὲν ἐπιστήμην διὰ δ' ἄγνοιαν εἶναι ἀλλὰ δόξα τὸ τοιοῦτόν ἐστίν, οὕτως οὐδ' ἀπόδειξιν οὐδ' ὀρισμόν, ἀλλὰ δόξα ἐστὶ τοῦ ἐνδεχομένου ἄλλως ἔχειν, δῆλον οὖν ὅτι ἂν εἴη αὐτῶν οὐτε ὀρισμὸς οὐτε ἀπόδειξις“.

[»Substantiarum sensibilium singularum neque definitio neque demonstratio est, quia materiam habent cuius natura talis est, ut contingat esse et non esse; ideo omnia, quae particulariter sunt, corruptibilia sunt. Si ergo et demonstratio est necessariorum et definitio scientiam facit, neque contingit, sicut nec scientiam quandoque esse scientiam quandoque vero ignorantiam, sed opinio tale quid est, ita nec demonstrationem nec definitionem, sed opinio est de eo, quod alio modo esse potest: clarum est neque scientiam neque demonstrationem esse eorum (sc. quae particularia sunt).«]

Ergo actus et potentia, de quibus scientia agit, non referuntur ad res existentes quales, sed ad essentias rerum a singularitate et existentia abstractas.

Iam vero essentiae rerum intelliguntur ab Aristotele ut aliquid necessarium et ingenerabile et incorruptibile<sup>218</sup>: „ἐπεὶ δ' ἡ οὐσία ἐτέρα

<sup>217</sup> Met. Z, 15; 1039 b 27 — 1040 a 2.

<sup>218</sup> Met. Z, 15; 1039 b 20—27.

τό τε σύνολον καὶ ὁ λόγος (λέγω δ' ὅτι ἡ μὲν οὕτως ἐστὶν οὐσία σὺν τῇ ὕλῃ συνειλημμένος ὁ λόγος, ἡ δ' ὁ λόγος ὁλως), ὅσαι μὲν οὖν οὕτω λέγονται, τούτων μὲν ἐστὶ φθορά· καὶ γὰρ γένεσις· τοῦ δὲ λόγου οὐκ ἐστὶν οὕτως ὥστε φθείρεσθαι· οὐδὲ γὰρ γένεσις (οὐ γὰρ γίγνεται τὸ οἰκία εἶναι ἀλλὰ τὸ τῆδε τῆ οἰκία), ἀλλ' ἄνευ γενέσεως καὶ φθορᾶς εἰσὶ καὶ οὐκ εἰσὶν· δέδεικται γὰρ ὅτι οὐδεὶς ταῦτα γεννᾷ οὐδὲ ποιεῖ“.

(»Quoniam substantia alia est totum et ratio, dico autem alteram ita esse substantiam, ut sit cum materia comprehensa ratio, altera ut ratio generatim; quae igitur ita dicuntur, eorum est corruptio; nam etiam generatio, rationis autem non est ita, ut corrumpatur; neque enim generatio, non enim fit esse domum, sed hanc domum; sed sine generatione et corruptione sunt et non sunt; demonstratum est enim neminem haec generare neque facere.«)

Ergo obiecta illa, de quibus scientia agit, et in quibus actus et potentia distinguuntur, non sunt actus qua tales seu cogitationes vel repraesentationes; nam actus fiunt et desinunt; sed scientia agit de iis, quae actibus exprimuntur.

19. Etiam si ergo scientia non est de rebus existentibus ut talibus, ideoque neque scientia de actu et potentia, tamen id ad quod refertur, et de quo actus aut potentia aut eorum compositio praedicatur, est aliquid obiectivum, quod non cogitando producitur, sed cui cogitatio conformari debet. Ita cogitari debet hominem componi ex anima et corpore, neque tantum de homine existente ita iudicatur, sed etiam de homine generatim seu absolute spectato, ideoque semper et ubique hoc iudicium valet. Neque propterea homo ex anima et corpore compositus est, quia ita cogitatur, sed propterea ita cogitari debet, quia ita compositus est. Utrum aliquid tale etiam existat necne, alia quaestio, a qua prior illa non dependet. Hunc realismum Aristoteles profitetur:<sup>210</sup> „ἀληθεύει μὲν ὁ τὸ διηρημένον οὐόμενος διαιρεῖσθαι καὶ τὸ συγκείμενον συγκεῖσθαι, ἔψευσθαι δὲ ὁ ἐναντίως ἔχων ἢ τὰ πράγματα“.

(»Veritatem habet, qui id quod divisum est, divisum esse existimat, et quod compositum est, compositum esse; fallitur autem, qui contrarie se habet ac res.«)

<sup>210</sup> Met. Θ 10; 1051 b 3—5.

Id quod exemplo illustratur<sup>220</sup>: „οὐ γὰρ διὰ τὸ ἡμᾶς οἶσθα, ἀληθῶς σε λευκὸν εἶναι εἰ σὺ λευκός, ἀλλὰ διὰ τὸ σὲ εἶναι λευκὸν ἡμεῖς οἱ πάντες τοῦτο ἀληθεύομεν“.

(»Non enim propterea, quia nos vere existimamus te album esse, tu albus es; sed quia tu albus es, propterea nos, qui hoc dicimus, veritatem habemus.«)

20. Ergo secundum Aristotelem in omni vero iudicio conformamur ordini obiectivo seu rebus, quamquam plerumque non iudicamus de rebus existentibus ut existentibus, sed ab existentia abstrahimus; ideoque ordo obiectivus vel ordo rerum, ad quem veritas et falsitas, actus et potentia, materia et forma, substantia et accidens, componi et dividi, generari et corrumpi refertur, non est identificandus cum ordine rerum existentium; neque esse plerumque significat existere, id quod summi momenti est prae oculis habere in diiudicanda sententia Aristotelis.

Ita praesertim, cum forma ex mente Aristotelis suo subiecto conferat esse. Nam, ut in prioribus<sup>221</sup> consideratum est, in omni fieri, sive simpliciter dicto sive secundum quid, subiectum habetur, quod est *μη ὄν κατὰ συμβεβηκός* — nonens secundum accidens, ideoque etiam materia est nonens secundum accidens, ita ut distinguatur a privatione, quae est nonens secundum seipsam<sup>222</sup>: „ἡμεῖς μὲν γὰρ ἕλην καὶ στέρησιν ἕτερόν φαμεν εἶναι, καὶ τοῦτων τὸ μὲν οὐκ ὄν εἶναι κατὰ συμβεβηκός, τὴν ἕλην, τὴν δὲ στέρησιν κατ' αὐτήν, καὶ τὴν μὲν ἐγγὺς καὶ οὐσίαν πως, τὴν ἕλην, τὴν δὲ στέρησιν οὐδαμῶς“.

(»Nos enim materiam et privationem aliud esse dicimus, et harum alterum nonens esse secundum accidens, materiam, privationem autem secundum seipsam, et alteram propemodum substantiam quodammodo esse, materiam, privationem vero nequaquam.«)

Eo autem, quod ad materiam forma accedit, ex materia fit aliquod ens. Ita in elementis ad materiam accedit contrarietas atque sic elementum habetur<sup>223</sup>: „πρῶτον μὲν τὸ δυνάμει σῶμα αἰσθητὸν ἀρχή, δεύτερον δ' αἱ ἐναντιώσεις, λέγω δ' οἶον θερμοῦτης, καὶ ψυχρότης, τρίτον δ' ἤδη πῦρ καὶ ὕδωρ καὶ τὰ τοιαῦτα.“

<sup>220</sup> ib. 6—9.

<sup>221</sup> Cap. primo art. III.

<sup>222</sup> Phys. 1, 9; 192 a 3—6.

<sup>223</sup> De gen. et corr. 2, 1; 329 a 33—35.

(»Primum est id, quod est potentia corpus sensibile, principium, secundum vero contrarietates, dico e. gr. caliditas et frigiditas, tertium autem iam est ignis et aqua et alia similia.«)

Contrarietates sua unionione cum subiecto efficiunt, ut illud subiectum, quod antecederet ad hanc unionem erat nonens secundum accidens, sc. quatenus hac forma carebat, iam sit ens secundum accidens, sc. quatenus hanc formam habet: subiectum formae praeexistens accipit per formam aliquod esse accidentale seu adventitium.

22. Totum autem, quod compositione materiae et formae oritur, per formam accipit esse primum, ideoque non accidentale seu adventitium; nam totum qua tale antea non erat, sed solum subiectum seu materia erat antea. Ita etiam totum qua tale desinit esse, si forma separata fuerit, etiamsi subiectum permanet, sicut nonmusicus homo qua tale compositum desinit, cum idem homo musicus fit, sicut Aristoteles dicit.<sup>224</sup> „τὸ μὲν μὴ ἀντικείμενον ὑπομένει (ὁ γὰρ ἄνθρωπος ὑπομένει), τὸ μουσικὸν δὲ καὶ τὸ ἄμουσον οὐχ ὑπομένει, οὐδὲ τὸ ἐξ ἀμφοῖν συγκείμενον, οἷον ὁ ἄμουσος ἄνθρωπος“.

(»Id quod non est oppositum, permanet homo enim permanet, musicum autem et nonmusicum non permanet, neque id, quod ex utroque compositum est, puta nonmusicus homo.«)

Verum quia non omne compositum substantia est, sed aliud compositum est substantia, aliud autem substantia cum accidente, non omnis forma quae composito qua tali dat esse, dat esse substantiale. Esse substantiale forma composito confert, cum compositione ex subiecto et forma nova substantia habetur, ita ut de composito iam non eadem definito valeat ac ante compositionem valebat de subiecto. Ita:<sup>225</sup>

„ὁ μὲν γὰρ ἄνθρωπος ὑπομένει μουσικὸς γινόμενος ἄνθρωπος καὶ ἔστι“.

(»Homo enim permanet, cum musicus fit, homo et est.«)

Quando autem ad aes accedit certa figura, id quod hac compositione habetur, non est aes, sed statua ex aere facta seu aerea. Ita Aristoteles sentit, cum varios modos enumerat, quibus aliquid simpliciter seu quoad ipsam substantiam fiat<sup>226</sup>. „γίγνεται δὲ τὰ γινόμενα

<sup>224</sup> Phys. 1, 7; 190 a 18—21.

<sup>225</sup> ib. a 10—11.

<sup>226</sup> ib. b 5—9.



*ἀπλῶς τὰ μὲν μετασχηματίζει, οἷον ἀνδριάς ἐκ χαλκοῦ, τὰ δὲ προσθέσει, οἷον τὰ ἀυξανόμενα, τὰ δ' ἀφαιρέσει, οἷον ἐκ τοῦ λίθου ὁ Ἑρμοῦς, τὰ δὲ συνθέσει, οἷον οἰκία, τὰ δ' ἀλλοιώσει, οἷον τὰ τρεπόμενα κατὰ τὴν ὕλην“.*

(»Fiunt autem ea quae simpliciter fiunt, quaedam transfiguratione, puta statua ex aere; quaedam additione, puta ea quae crescunt, quaedam ablatione, puta ex lapide Hermes; quaedam compositione, puta domus; quaedam alteratione, puta ea quae mutantur secundum materiam.«)

Interest igitur inter compositum et compositum: si quaeritur, quid sit musicus, repondetur eum esse hominem sicut et antea, neque eum ex homine musicum factum esse; quodsi quaeritur, quid sit statua, non respondetur eam esse aes, sed ex aere factam statuam.

23. Simili modo, quo forma physica subiecto suo confert esse, confert etiam speciem et cognoscibilitatem. Nam speciem conferre intelligitur esse internam rationem, cur haec potius quam alia definitio in illo composito verificetur. Ita in igne caliditas et siccitas, quae ad materiam accedunt, ratio sunt, cur potius ignis dicendum sit totum illud compositum quam aqua aut aliquod aliud elementum. Ideo forma physica ut pars ab Aristotele dicitur speciem efficere, sicut cum dicit non omnes contrarietates speciem efficere, sed solum illas quae referantur ad tactum:<sup>227</sup>

*„φανερὸν δι οὐ πᾶσαι αἱ ἐναντιώσεις σώματος εἶδη καὶ ἀρχὰς ποιοῦσιν, ἀλλὰ μόνον αἱ κατὰ τὴν ἀφήν“.*

(»Clarum est non omnes contrarietates corporis species et principia facere, sed solum quae secundum tactum.«)

Iam vero eo ipso quod subiectum per formam suam speciem habet, ita ut determinata definitio in toto verificetur, etiam suam cognoscibilitatem ab eadem forma habet. Nam cognoscere hic intelligitur idem ac scire, ergo cognoscibilitas idem ac scibilitas. Quid autem significet »scire«, ita Aristoteles declarat:<sup>228</sup> *„εἰδέναι τότ' οἰόμεθα ἕκαστον μάλιστα, ὅταν τί ἐστί ὁ ἀνθρώπος γινώμεν ἢ τὸ πῦρ, μᾶλλον ἢ τὸ ποῖον ἢ τὸ ποσὸν ἢ τὸ ποῦ, ἐπεὶ καὶ αὐτῶν τούτων τότε ἕκαστον ἴσμεν, ὅταν τί ἐστί τὸ ποσὸν ἢ τὸ ποῖον γινώμεν. καὶ δὴ καὶ τὸ πάλαι τε καὶ νῦν καὶ αἰεὶ ζητούμενον καὶ αἰεὶ ἀπορούμενον, τί τὸ ὄν, τοῦτό ἐστι, τίς ἢ οὐσία“.*

<sup>227</sup> De gen. et corr. 2, 2: 329 b 8—10.

<sup>228</sup> Met. Z, 1: 1028 a 36 — b 4.

(»Scire tunc unumquodque maxime putamus, quando, quid sit homo aut ignis, scimus, potius quam quando qualitatem aut quantitatem aut ubi, quoniam et horum ipsorum tunc unumquodque scimus, quando quid sit quantitas vel qualitas novimus. Atque ideo illud, quod olim et nunc et semper quaeritur et dubitatur, est, quid sit id quod est, hoc est, quae sit substantia.«)

Quoniam igitur novisse aliquid, est scire quid illa res sit, res aliqua, ut sit cognoscibilis, aliquam quidditatem habere debet. Ergo ab eodem a quo res quidditatem suam habet, et eodem modo quo quidditatem habet, etiam cognoscibilitatem habet, et idem quod quidditatem habet, etiam cognoscibilitatem habet.

24. Id autem quod per formam physicam accipit esse seu quidditatem, est quidem materia illa, quae in prioribus huius inquisitionis vocata est »materia ut pars«, de qua scilicet forma nequit praedicari in recto; verum illa materia, cum sit nonens solum secundum accidens, etiam per formam solum aliquid accidentale accipit, ideoque etiam solum accidentaliter cognoscibilis fit. Sed id, quod per formam simpliciter quidditatem habet, est totum ex materia et forma ut partibus compositum. Sicut in homine non corpus accipit et habet animam neque corpus per animam fit homo, sed anima est extra essentiam corporis ideoque ipsi accidentalis, sed per animam homo est homo: ita etiam in elemento subiectum ut pars per formam ut partem solum accidentaliter accipit quidditatem et cognoscibilitatem, simpliciter autem subiectum ut totum seu elementum qua tale. Ignis est calidus et siccus, non materia ignis est calida et sicca. Quare, cum cognoscitur hoc calidum et siccum, ignis cognoscitur, non materia; sed sicut materia ignis est ignis accidentaliter, ita etiam, quando ignis cognoscitur, eius materia accidentaliter cognoscitur. Idem hic habetur ac in cognitione partium, quando totum cognoscitur: sc. quando totum cognoscitur, cognoscuntur etiam eius partes quatenus partes sunt, ideoque non primario seu per se, sed secundario seu per accidens, nam si quaeritur, quid cognoscatur, non quaeritur quae partes sed quod totum cognoscatur, ideoque non sumus contenti, quando quis nobis partes tantum enumerat, quin dicat, quid sit illud totum, cuius illae partes sunt.

25. Forma vero ut totum subiecto suo omnia confert, quod ipsum habet; nam haec forma totalis est illa, quae exprimitur definitione totius. Ita forma partialis Petri est anima sed Petrus non est anima sed habet animam; Petrus autem est compositum ex corpore et anima sive homo. Hoc compositum est natura vel forma totalis seu simpliciter dicta, quae cum suo subiecto realiter identica est et propterea de ipso in recto praedicatur. Hoc sensu intelligitur forma, vel species ab Aristotele, cum dicit:<sup>229</sup>

*„τὸ γὰρ δυνάμει σὰρξ ἢ ὄστων οὐτ' ἔχει πω τὴν ἑαυτοῦ φύσιν, πρὶν ἂν λάβῃ τὸ εἶδος τὸ κατὰ τὸν λόγον, ὃ ὀριζόμενοι λέγομεν τί ἐστὶ σὰρξ ἢ ὄστων, οὔτε φύσει ἐστίν. ὥστε ἄλλον τρόπον ἢ φύσις ἂν εἴη τῶν ἐχόντων ἐν ἑαυτοῖς κινήσεως ἀρχὴν ἢ μορφήν καὶ τὸ εἶδος, οὐ χωριστὸν ὄν ἀλλ' ἢ κατὰ τὸν λόγον. τὸ δ' ἐκ τούτων φύσις μὲν οὐκ ἐστὶ, φύσει δέ, οἷον ἄνθρωπος. καὶ μᾶλλον αὕτη φύσις τῆς ὕλης ἕκαστον γὰρ τότε λέγεται διὰν ἐντελεχεία ἢ, μᾶλλον ἢ διὰν δυνάμει“.*

(«Id quod potentia caro est aut os, nondum suam naturam habet, antequam suam speciem accipiat quae secundum rationem est, quam definientes dicimus, quid sit caro vel os, neque natura est. Ergo alio modo natura fuerit eorum, quae in se ipsis principium motus habent, forma et species, quae non est separabilis nisi secundum rationem. Id autem quod ex his est, natura non est, sed natura, puta homo. Et potius haec natura est quam materia. Unumquodque enim tunc dicitur, quando actu est, potius quam quando potentia.»)

Iam vero forma vel species intellecta tamquam totum, subiecto suo confert omnia, quae ipsum habet; nam haec forma est totum id, quod definitione huius subiecti exprimitur, seu est essentia vel substantia vel quidditas subiecti, sicut tota essentia hominis in eo consistit, quod est compositum ex corpore et anima rationali.

26. Atque ita forma totalis subiecto confert totum esse simpliciter dictum vel substantiale. Et quia esse accidentale supponit esse substantiale, eo quod omnia accidentia de substantia praedicantur:<sup>230</sup>

*„διὰ τὸ μόνην τὴν οὐσίαν μηθενὸς καθ' ἄλλον λέγεσθαι ὑποκειμένου, τὰ δ' ἄλλα πάντα κατὰ τῆς οὐσίας“.*

<sup>229</sup> Phys. 2, 1; 193 a 36 — b 8.

<sup>230</sup> Phys. 1, 7; 190 a 35 — b 1. cf. Met. Z, 1; 1028 a 10—20.

(»propterea quod sola substantia de nullo alio obiecto praedicatur, alia autem omnia de substantia.«)

Propterea subiectum nullum esse neque substantiale neque accidentale sine forma totali habere potest. Atque ita intelligitur illud<sup>231</sup>: „*εἰ τὰ ἔσχατα ληφθεῖη, ἡ μὲν ἕλην οὐδὲν ἄλλο παρ' αὐτήν, ἡ δ' οὐσία οὐδὲν ἄλλο ἢ λόγος*“.

27. (»Si extrema sumantur, materia nihil aliud est praeter ipsam, substantia autem nihil aliud atque ratio.«)

Id est: ultimum subiectum, de quo tota forma in recto praedicatur, secundum se est solum subiectum; nam quod de subiecto praedicatur, non est subiectum sed forma; substantia autem subiecti est id, quod ipsum est, est autem id quod in recto de ipso praedicatur; praedicatur autem ita quidditas seu ratio. Atque eodem modo etiam patet hoc aliud:<sup>232</sup>

„*ἔστι δ', ὥσπερ εἴρηται, καὶ ἡ ἐσχάτη ἕλη καὶ ἡ μορφὴ ταὐτὸ καὶ δυνάμει, τὸ δ' ἐνεργεία*“.

(»Est, sicut dictum est, et ultima materia et forma idem, et potentia, alterum vero actu.«)

In hoc textu supplenda esse inter *καὶ* et *δυνάμει* verba *τὸ μὲν* patet ex iis quae sequuntur: *τὸ δ' ἐνεργεία*; nam *τὸ δὲ* supponit *τὸ μὲν*; oppositio autem ex Aristotelis mente est inter *δύναμις* et *ἐνέργεια*.

28. Quoniam ergo ultima materia et forma idem sunt, ultima materia et forma e. g. in homine non intelliguntur corpus et anima, sed subiectum et forma totalis vel essentia: Petrus est homo.

Neque tamen illa identitas est rationis, sed solum realis, ratione autem distinguuntur<sup>233</sup>: „*ἡ μορφὴ καὶ τὸ εἶδος, οὐ χωριστὸν ὄν ἀλλ' ἢ κατὰ τὸν λόγον*“.

(»Forma et species, quae non est separabilis nisi secundum rationem.«)

Est scilicet inter ultimam materiam et formam eadem distinctio ac inter individuum et naturam eius individuatum: natura potest cogitari ita, ut abstrahatur ab eius individuatione.

Quod igitur subiectum totale seu ultimum omne esse a forma totali habere dicitur, valet de illo esse, quod a subiecto ratione distinguitur.

<sup>231</sup> Meteor. 4, 12; 190 a 5—6.

<sup>232</sup> Met. H, 6; 1045 b 17—19.

<sup>233</sup> Phys. 2, 1; 193 b 4—5.

29. Iam vero, quia forma ratione a subiecto distinguitur, subiectum accidentale est, accidentale sensu logico non metaphysico; i. e. subiectum non inhaeret formae, sicut accidens substantiae; sed subiectum accidentaliter se habet respectu formae, quatenus forma abstracte cogitari potest sine subiecto.

Non igitur affirmatur substantiam individuum compositam esse ex substantia et accidente, quod indigeat subiecto inhaesionis. Atque hoc sensu Aristoteles dicit Calliam per accidens esse hominem:<sup>234</sup>

„ἡ μὲν ἐμπειρία τῶν καθ' ἑκαστὸν ἐστὶν γνῶσις ἡ δὲ τέχνη τῶν καθόλου, αἱ δὲ πράξεις καὶ αἱ γενέσεις πᾶσαι περὶ τὸ καθ' ἑκαστὸν εἰσιν· οὐ γὰρ ἀνθρώπων ἐγιάζει ὁ ἰατρούων, πλὴν ἀλλ' ἢ κατὰ συμβεβηκός, ἀλλὰ Καλλίαν ἢ Σωκράτην ἢ τῶν ἄλλων τινὰ τῶν οὕτω λεγομένων, ᾧ συμβέβηκε καὶ ἀνθρώπων εἶναι“.

(»Experientia est particularium cognitio, pars autem universalium, actiones vero et generationes omnes circa particulare sunt; non enim hominem sanat medicus, nisi per accidens, sed Calliam aut Socratem aut aliquem alium ex iis, qui ita vocantur, cui accidit et hominem esse.«)

Agitur de accidente respectu conceptuum: homo non necessario cogitatur ut Callias aut Socrates, et propterea homo per accidens est Callias aut Socrates.

30. Quia, ut iam antea ex Aristotele expositum est,<sup>235</sup> id quod cognoscitur per se, est essentia seu substantia vel quiditas, huic autem subiectum accidentale est, subiectum per accidens cognoscitur. Ita, quando Callias aut Socrates cognoscitur, per se cognoscitur homo, qui de utroque in recto praedicatur, per accidens autem subiectum ipsum Callias aut Socrates.

31. Forma totalis, quia est id, quod subiectum non solum esse potest, sed etiam est, est eius actus, et eadem substantialis, quia non est accidens; estque actus totalis substantialis, quia non partem tantum sed totam substantiam constituit, ita ut in recto de subiecto praedicetur, sicut patet ex iis, quae antea allegata sunt.<sup>236</sup>

<sup>234</sup> Met. A, 1; 981 a 15—20.

<sup>235</sup> Phys. 2, 1; 193 a 36 — b 8.

<sup>236</sup> Phys. 2, 1; 193 a 36 — b 8.

32. Unde etiam patet non posse idem subiectum habere plures actus totales, seu non posse unam substantiam constare ex pluribus substantiis quae sint in ea actu, sicut dicit Aristoteles<sup>237</sup>: „ἀδύνατον γὰρ οὐσίαν ἐξ οὐσιῶν εἶναι ἐνυπαρχουσῶν ὡς ἐντελεχεία

(»Impossibile namque est substantiam ex substantiis esse, quae insint ut actu.«)

Nam si unum subiectum haberet plures actus totales, de eodem subiecto valerent diversae, oppositae definitiones; id quod esse nequit. Idem igitur sensus est huius effati, ac illius<sup>238</sup>: „ἐν ἐκάστῳ τῶν ὄντων ἔν ἐστι τὸ εἶναι ὅπερ ἐστίν. ὥστ' εἰ πλείους ἔσονται τοῦ αὐτοῦ ὀρισμοί, ταῦτόν ἔσται τῷ ὀριζομένῳ τὸ εἶναι ὅπερ καθ' ἐκάτερον τῶν ὀρισμῶν δηλοῦται. ταῦτα δ' οὐ ταῦτά ἐστιν, ἐπειδὴ οἱ ὀρισμοὶ ἕτεροί.“

(»In unoquoque entium unum est esse quod est; ergo, si plures erunt eiusdem definitiones, idem erit definienti illud esse, quod secundum utramque definitionem patet. Haec autem non sunt eadem, quoniam definitiones diversae sunt.«)

Id est: diversae definitiones, quae sc. de invicem negari possunt, nequeunt de eodem ente praedicari.

Ita etiam intelligitur illud<sup>239</sup>: „ἢ γὰρ ἐντελέχεια χωρίζει“.

33. (»Actus enim separat.«)

Actus totalis separat, ita ut duo actus totales non possint esse in eodem subiecto, de quo in recto praedicentur.

Non igitur in his effatis actus intelligitur existentia, sed forma totalis seu essentia: non negatur lapides in domo, quae ex iis composita est, existere, sed negatur idem cuius essentia seu quidditas est domus, posse simul esse aliquid aliud, quod non sit domus. Lapidibus existunt quidem in domo, neque tamen sunt domus, sed ex iis domus composita est, seu lapides non sunt id quod, sed id ex quo est domus. Definitio domus non praedicatur de lapidibus qua talibus, sed de composito ex lapidibus.

Ex eadem etiam ratione intelligitur, cur Aristoteles consentiat Democrito dicenti<sup>240</sup>: „ἀδύνατον ἐκ δύο ἐν ἢ ἐξ ἐνὸς δύο γενέσθαι“.

(»Impossibile est ex duobus unum aut ex uno duo fieri.«)

<sup>237</sup> Met. Z, 13; 1039 a 3—4.

<sup>238</sup> Topic. 6, 4; 141 a 35 — b 1.

<sup>239</sup> Met. Z, 13; 1039 a 7.

<sup>240</sup> Met. Z, 13; 1039 a 9—10.

Ut enim Aristoteles ibidem annotat, id non affirmatur nisi de substantiis<sup>241</sup>: „τὰ γὰρ μεγέθη τὰ ἄτομα τὰς οὐσίας ποιεῖ“.

(»Magnitudines enim illas indivisibiles, substantias rerum facit«.)

Id est: Democritus in sua suppositione recte dicit neque ex duobus unum neque ex uno duo fieri posse; supponit enim illa indivisibilia corpuscula, quae atomi vocantur, esse id quod res corporeae sunt seu esse substantias vel essentias rerum vel actus totales rerum; iam vero neque possunt duo actus totales de eodem in recto praedicari, neque de illo eodem de quo modo hic unus actus totalis praedicatur, umquam duo actus totales praedicari poterunt.

Et propterea Aristoteles non commemorat ullam ex illis quaestionibus, quae iis solvendae sunt, qui dicunt ex duobus existentibus non posse fieri unum existens, quaeritur sc. praesertim cur destructo toto eadem semper appareant, ex quibus antea compositio facta est, utrum corpus coeleste an aether an aliquid aliud haec eadem iterum producat. Sed ex illa doctrina Democriti quam ipse approbavit, difficultatem infert contra possibilitatem definitionis rerum:<sup>242</sup>

„ἔχει δὲ τὸ συμβαῖνον ἀπορίαν. εἰ γὰρ μήτε ἐκ τῶν καθόλου οἶόν τ' εἶναι μηδεμίαν οὐσίαν διὰ τὸ τοιόνδε ἀλλὰ μὴ τότε τι σημαίνειν, μήτ' ἐξ οὐσιῶν ἐνδέχεται ἐντελεχείᾳ εἶναι μηδεμίαν οὐσίαν σύνθετον, ἀσύνθετον ἂν εἴη οὐσία πᾶσα, ὥστ' οὐδὲ λόγος ἂν εἴη οὐδεμιᾶς οὐσίας. ἀλλὰ μὲν δοκεῖ γε πᾶσι καὶ ἐλέχθη πάλοι ἢ μόνον εἶναι οὐσίας ὅρον ἢ μάλιστα ἂν οὐδὲ ταύτης. οὐδενὸς ἄρ' ἔσται ὁρισμὸς ἢ τρόπον μὲν τινα ἔσται, τρόπον δὲ τινα οὐ. ὁῦλον δ' ἔσται τὸ λεγόμενον ἐκ τῶν ὕστερον μᾶλλον“.

(»Habet id quod accidit, aliquam difficultatem. Si enim neque ex universalibus ulla substantia esse potest, quia tale quid, non hoc aliquid significant, neque ex substantiis possibile est esse actu ullam substantiam compositam, incomposita esset substantia omnis, ita ut neque ratio sit ullius substantiae. Iam vero videtur omnibus et dictum est pridem aut solius substantiae esse definitionem aut imprimis; nunc autem neque huius. Nullius itaque rei erit definitio; aut quodammodo erit, quodammodo non. Clarum autem erit id quod dicitur, ex iis quae postea sequentur, magis.«)

<sup>241</sup> ib. 10—11.

<sup>242</sup> Met. Z, 13; 1039 a 14—23.

35. Sc. illa distinctio, posse substantiam quodammodo definiri et quodammodo non, declaranda manet, et declaratur postea<sup>243</sup> distinguendo duplicem substantiam, alteram quae sit ratio in materia, alteram quae sit sola ratio: hanc ultimam, non autem illam priorem definiri posse. Ratio igitur hic idem intelligitur ac essentia seu quidditas, nam haec est quae definitur:<sup>244</sup>

„ἔστιν ὁ ὀρισμὸς ὁ τοῦ τί ἦν εἶναι λόγος“.

(»Est definitio quidditatis oratio.«)

Materia autem hic intelligitur subiectum, de quo essentia in recto praedicatur.

Atque idem respondendum ad quaestionem, utrum de rebus individuis et existentibus scientia haberi possit.

36. Ex eo, quod forma totalis est quidditas sui subiecti, intelligitur etiam eam esse naturam subiecti ideoque rationem eius activitatis et receptivitatis seu passivitatis.

37. Eadem forma totalis abstracte vel absolute spectata est incorruptibilis, nam quod corrumpi potest, existit, quod autem existit, non est nisi singulare sive particulare: non homo generatim spectatus, sed hic aut ille in quo quidditas hominis est, moritur, seu in exemplo quo Aristoteles utitur: non domus generatim spectata fit sed haec aut illa<sup>245</sup>:

„ἐπεὶ δ' ἡ οὐσία ἑτέρα τὸ τε σύνολον καὶ ὁ λόγος (λέγω δ' ὅτι ἡ μὲν οὕτως ἐστὶν οὐσία σὺν τῇ ὅλῃ συνειλημμένος ὁ λόγος, ἡ δ' ὁ λόγος ὅλως), ὅσαι μὲν οὖν οὕτω λέγονται, τούτων μὲν ἔστι φθορά· καὶ γὰρ γένεσις· τοῦ δὲ λόγου οὐκ ἔστιν οὕτως ὥστε φθίρεισθαι· οὐδὲ γὰρ γένεσις (οὐ γὰρ γίγνεται τὸ οἰκίᾳ εἶναι ἀλλὰ τὸ τῆδε τῆ οἰκίᾳ)“.

(»Quoniam substantia altera est totum et ratio, dico autem alteram ita esse substantiam, ut si cum materia comprehensa ratio, alteram autem ita, ut ratio generatim, quae igitur ita dicuntur, harum quidem est corruptio, nam etiam generatio; rationis autem non est ita, ut corrumpatur; neque enim generatio, non enim fit id quod est domus generatim, sed quod est haec domus.«)

<sup>243</sup> Met. Z, 15.

<sup>244</sup> Met. Z, 5; 1031 a 12.

<sup>245</sup> Met. Z, 15; 1039 b 20—25.